

- Dum regnis adici veteris cepit Ludewici,
 10 Fons licet illorum sit Francia Teutonicorum,
 Major ni fallar sceptris, nec viribus impar,
 A qua discerni Franci petiere Latini,
 Cesaris Arnolfi valida pressi ditione,
 Hos proprio qui rege frui permisit Odone.
 15 Sed jam cunctorum pariter spaciamur eorum (sic!).
 Miles adit pridem Romanam Gallicus urbem,
 Tam numerosus ut urbs populum non clauderet ejus,
 Et plures extra muros sua ponere castra
 Compulsi fuerint, intus loca nulla vacarint.
 20 Illic orantes, sanctosque dei venerantes,
 Parvo detenti sunt tempore, sicque profecti.
 Inde per Apuliam patuit via rebus opimam:
 Hic vir jocundus, princeps terre Boimundus,¹⁾
 Associatur eis, frater ducis Apuliensis,
 25 Classibus hunc tantis illa de gente secutis,
 Ut post captis, Constantinopolim quoque tractis
 Cunctis Francorum primoribus, ille suorum
 Se defensaret turmis, Grecos superaret.
 Dum parat hic sumptus, pertransiit equora cunctus
 30 Francorum cētus, trino de littore vectus,
 Barris et Orrentum²⁾, per Brundosum quoque portum
 In mare contendunt, ad Durachii loca pergunt,
 Quo sicut dixi, simul omnes denique capti
 Constantinopolim vadunt proceres seriatim.
 35 Miserat edictum rex Grecus taleque jussum,
 Ut caperentur ubique vię sancte peregrini
 Et presentarentur ei, cupiens sibi subdi
 Ipsos cum terris, caperent quos robore belli.
 Greca fides permixta dolis post claruit ista,
 40 Qua tamen implevit deus ipse quod utile novit,
 Scilicet ut nostros per terram vel mare sparsos,
 Colligeret cuneum supremus rector in unum,
 Ne si per partes scissi ferrentur in hostes
 Forte minus cauti, morerentur cede subacti.
 45 Ad Constantini sedem ducti peregrini,
 Gallica sub Grecis demittunt classica dextris,
 Docta parens doctam vicitque sophismate natam;
 Grecia nam mater, sed Gallia nata patenter
 Emicat: hec genuit studium prior, istaque nutrit.

De Petro heremita ejusque consecraneis.

Res monet ecce stilum retro versare pusillum,³⁾

1) Es ist überall Boam. gleichzeitig in Boim. geändert. 2) Barim und Otrentum im Original. 3) Der folgende Vers ist in dieser Verbindung unverständlich und gehört vielleicht oben zu v. 15.